

malum, ut malum non procedit a virtute, ut agente, quam habemus a Deo, sed a defectu ejusdem virtutis, qui defectus non est a Deo. Respondeo, sanctum Augustinum loco notato, non loqui de bono tantum morali, sed de eo, quod est meritorium gratiæ vel gloriæ, de hoc enim bono vere est absurdum, Deum non majori auxilio concurrere ad opus bonum, quam ad peccata. Et hoc absurdum ab errore Pelagii apertissime sequebatur.

Sextum argumentum. Dæmones habent intelligentiam et voluntatem, non minus integram, quod attinet ad naturalia, quam homines, et præterea carent concupiscentia carnali; et tamen nullum opus bonum morale facere possunt, ut omnes fatentur: igitur nec homines possunt, nisi divinitus adjuventur. Respondeo: dæmones sunt obfirmati in actuali odio Dei, et rerum ipsius, ac præsertim humani generis, id enim pertinet ad statum damnationis, sicut confirmatio in actuali amore Dei et proximi pertinet ad statum felicitatis; et ideo non est mirum, si quicquid faciunt, malum est, quoniam ad malum illum finem omnia referunt. Homines autem in hac vita, etiamsi infideles, et perditissimi, non semper actu Deum et proximum oderunt, neque ex hoc odio semper operantur.

Septimum argumentum. Si posset homo bonum morale facere viribus solius naturæ, certe remansissent in natura humana, post Adæ peccatum, semina aliqua virtutum, ut Cassianus docuit. Atqui hoc reprehendit sanctus Prosper in libro contra Collatorem cap. 28. Respondeo: semina virtutum, si proprie accipiantur, nihil sunt aliud, nisi lumen intellectus practici, et inclinatio voluntatis ad bonum prosequendum, et malum fugiendum, ut sanctus Thomas docet in 1. 2. quæst. 63. Et hoc modo semina virtutum remanserunt post peccatum, nec possunt aboleri, nisi homo desinat esse homo. Et hæc semina admittunt Basilius, homil. 9. in Exameron, et in regulis fuse explicatis, cap. 2. Athanasius in vita sancti Antonii, ipsius beati Antonii exhortationem ad virtutem referens, Hieronymus in cap. 1. ad Galat. Damascenus lib. III. cap. 14. et alii. Refert etiam Ruardus Tapper, in explicatione articul. 10. hanc sententiam ex Augustino: « In naturali iudicatorio adsunt quædam regulæ, et semina virtutum, quæ dicunt Synderesim. »

Cassianus tamen pro semine virtutum, accepit semina veræ pietatis, id est, bonas co-

gitationes et pia desideria, quibus homo præparatur ad gratiam. Sic enim ait, cap. 9. Collationis de protectione Dei: « Jam hic, inquit, quasi per inscrutabilem diversitatem introducit definitio, qua doceatur multos ad gratiam venire sine gratia, et hunc affectum petendi, quærendi, atque pulsandi habere quosdam de vigilantia liberæ voluntatis. » Et infra: « Dubitari ergo non potest, inesse naturaliter omni animæ virtutum semina etc. » Hanc sententiam merito refellit Prosper his verbis: « Qui ergo dicit, sine ullo opere gratiæ, naturaliter omni animæ semina inesse virtutum, quid laborat ostendere, nisi de istis seminibus quædam germina præcedentium Dei gratiam pullulare meritorum? »

CAPUT XIII.

Proponitur controversia de libero arbitrio in moralibus, et Tilmanni ineptiæ, ac mendacia referuntur.

Sequitur ultima quæstio de bono morali, quæ est omnium potissima inter quæstiones de libero arbitrio. Igitur controversia est inter Catholicos omnes ab una parte, et hæreticos hujus temporis omnes ab altera (neque enim in hac re vel apud nostros, vel apud adversarios ulla est opinionum varietas) sit ne homo in statu naturæ lapsæ liberi arbitrii, in bono morali eligendo, et malo evitando, sive, quod idem est, in præceptis morum observandis aut prævaricandis.

Et quidem Catholici (ut diximus) omnes tum veteres, tum recentiores, tamquam dogma fidei Catholice prædicant partem affirmantem. Hæretici contra, tum ex veteribus plurimi, tum recentiores omnes, obstinate defendunt partem negantem. Loca tum Catholicorum, tum hæreticorum annotavimus initio primi libri. Nunc antequam ad argumenta seria veniamus, placet breviter adscribere aliquot mendacia, vel ineptias Tilmanni Heshusii, ut lector ex hoc uno, qui non parvi nominis episcopus apud adversarios est, iudicium faciat de cæteris.

Tilmannus igitur in libro de sexcentis erroribus Pontificiorum, titul. de servo arbitrio, inter alios, decem et novem errores de libero, vel (ut ipse loquitur) servo arbitrio, Romanæ Ecclesiæ attribuit, qui sunt omnes vel manifesta mendacia, vel sententiæ vete-

rum, quas ne ipsi quidem Lutherani negare solent. Tam acri iudicio scilicet Papistarum errores Heshusius colligit.

Primus error: « Liberum arbitrium est facultas rationis et voluntatis, qua bonum eligitur gratia assistente, vel malum eadem desistente. » Item: « Est facultas applicandi sese ad gratiam. » Et citatur Petrus Lombardus lib. II. distinct. 24. At prior definitio desumpta est ex Augustino in Enchiridio, cap. 93. proinde fateri debet Tilmannus, sanctum Augustinum fuisse Papistam. Posterior est merum somnium Heshusii.

Secundus error: « Liberum arbitrium, quoad res spirituales, non est prorsus extinctum, sed tantum fractum et attenuatum. » At hoc ipsum accepit Concilium Tridentinum ex Concilio Arausicano, canon 8. Itaque Patres illius Concilii, quod ante annos mille celebratum est, contra Pelagianos, Papistæ omnes, teste Tilmanno, fuerunt.

Tertius error: « Homo ex puris naturalibus potest diligere Deum super omnia. » At hoc scripserunt Scholastici quidem pauci, sed non debet Ecclesiæ Catholice tribui opinio paucorum, quam in eadem Ecclesia plures et graviores refellunt.

Quartus: « Potest homo suis viribus implere præcepta Theologicarum virtutum, secundum substantiam operis, ut credere, sperare, diligere. »

Et citatur Ruardus. At Ruardus in explicatione articuli de libero arbitrio, refert hoc ex aliorum sententia, sed non probat. Nec debent Ecclesiæ tribui singulorum somnia. Certe Concilium Tridentinum, cujus vox Ecclesiæ Catholice vox est, disertis verbis tradit in sexta sessione, canone tertio, neminem posse sine Dei auxilio credere, sperare, aut diligere sicut oportet.

Quintus: « Gentes potuerunt ex Philosophia eam notitiam comparare, quæ satis est ad salutem consequendam. »

Et citatur Andradius lib. III. Atqui Andradius non scribit ex sola Philosophia gentes id potuisse, et non semel in eodem loco repetit, necessarium fuisse gentibus ad salutem lumen divinæ gratiæ. Viderit igitur Heshusius, quam bona fide auctores citet, et utrum hoc non sit lectoribus imponere vel mentiri.

Sextus: « Par libertas a necessitate est in Deo, in Angelis et hominibus. » Item: « Li-

bertas a necessitate inseparabilis est a natura intellectiva. » At hic si error est, Gregorii Nysseni, Anselmi, Bernardi, et omnium sanctorum Patrum est, quos libro superiore citavimus. Quare non parum Tilmanno debemus, quod tam antiquos, et tam doctos ac sanctos Patres Papistas fecerit.

Septimus: « Sine auxilio gratiæ potest homo facere opera Deo grata. » Et citatur Andradius lib. III. At non dicit hoc Andradius, sed tantum posse hominem facere aliqua opera, quæ non sint peccata, id est, bona moraliter, non quæ Deo sint grata, id est, gratiæ vel gloriæ meritoria.

Octavus: « Synderesis est inclinatio ad bonum. » At qui hoc negat, nescit quid loquatur; nam quomodo, quæso, potest non inclinare ad bonum, lumen humanæ menti a bono conditore insitum?

Nonus: « Synderesis non extinguitur in dæmonibus. » At hoc docet sanctus Augustinus lib. II. confess. cap. 4. « Lex, inquit, scripta est in cordibus, quam ne ipsa quidem delet iniquitas. » Tametsi enim non sunt omnino idem synderesis, et lex naturæ, cum synderesis sit ipsum lumen intellectus per modum habitus in nobis manens, lex naturæ sint prima quædam principia practica, quæ lumine illo cognoscuntur, tamen certum est, esse inseparabilia synderesim, legemque naturæ. Itaque sanctus Hieronymus, in primum caput Ezechielis scribit, synderesim in ipso etiam Cain post peccatum commissum deleri non potuisse. Sed omissis Patribus, nonne Isaias hoc dicit cap. ultim. *Ignis eorum non extinguetur, et vermis non morietur* (1).

Quod item repetit aliquoties Dominus, Marci IX. Vermem autem, qui in damnatis non moritur, synderesim esse, sive scintillam conscientiæ, docet Hieronymus, et alii in commentario Isaiæ. Itaque jam non Patres tantum, sed etiam Christum et Isaiam Tilmannus inter errantes Papistas numerare potuerit.

Decimus: « Naturalia manserunt integra post peccatum. » At hoc perspicue docet Dionysius Areopagita, lib. de divinis nominibus cap. 4. Neque repugnat ei, quod alii dicunt, naturam humanam, per peccatum esse corruptam. Corrupta siquidem est natura per amissionem donorum supernaturalium, non per destructionem alicujus poten-

(1) Isaiæ LXVI, 24.

tiæ, aut membri naturalis. « Naturæ quippe humanæ (inquit sanctus Prosper, libro contra Collatorem cap. 26.) etiam post prævaricationem manet substantia, manet forma, manet vita, et sensus, et ratio, cæteraque corporis et animi bona ». Nec aliud significare volunt, qui inter Catholicos scribunt, naturalia manere integra post peccatum.

Undecimus : « Mens humana multa per se intelligit, quæ ad cognitionem divinarum rerum pertinent ». At hoc docet Apostolus ad Rom. I. ubi dicit : « Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, cognosci ».

Duodecimus : « Homo post lapsum habet rectum lumen rationis ». At solus eo caret, qui id negat. Certe enim si lumine rectæ rationis omnino privati essemus, nihil a furiosis, vel a bestiis differremus.

Tertius decimus : « Homo accepta prima gratia gratis data, de condigno mereri potest gratiam gratam facientem, et vitam æternam ». Et citatur Gabriel lib. II. distinct. 27. quæst. 1. ita dicens : « Anima gratia informata per actum a voluntate simul, et gratia elicitedum de condigno meretur æternæ beatitudinis præmium ».

At quis crederet Heshusium tam stultum, vel stupidum esse potuisse, ut ipse verba citaret, quibus mendacia ipsius nullo labore confutarentur? Tantum enim abest, ut Gabriel dicat, hominem de condigno mereri gratiam gratam facientem, ut etiam dicat, non posse mereri gloriam, nisi prius habeat gratiam gratam facientem.

Decimus quartus : « Initium fidei a nobis est ». Et probatur ex Gabriele dicente : « Actum meritorium, quantum ad substantiam ejus, esse a voluntate, tamquam a causa prima et principali, et a gratia tamquam a causa secunda, sive minus principali ». At somniabat credo, vel phrenesi laborabat Heshusius, dum hæc meditaretur. Ubi enim est mentio fidei in verbis Gabrielis? an non loquitur de actu meritorio, qui non solum fidem, sed etiam spem et charitatem prærequirit?

Decimus quintus : « Arbitrium credendi in nostra est potestate ». Et citatur Ruardus, dicens : « In potestate hominis quippe est, in melius mutare voluntatem, sed ea potestas nulla est, nisi detur a Deo ». At hanc sententiam Ruardus desumpsit ad verbum ex Augustino lib. I. retract. cap. 22. Neque

(1) Joan. III, 9; ibid. III, 4.

id ignorare potuit Heshusius, si Ruardum legit. Sed dolus, an virtus quis in hoste requirat?

Decimus sextus : « Homo renatus totam Dei legem implere potest ». Et citatur Concilium Tridentinum sess. 6. At hoc idem habetur in Concilio Arausicano, canon 25. Immo et sanctus Joannes hoc dicit, cum ait : *Qui natus est ex Deo, non peccat*, I. Joan. II. Idem enim esse non peccare, et legem Dei totam implere, docet idem Apostolus, I. Joan. III. cum ait : *Et peccatum est $\alpha\nu\omicron\pi\tau\alpha$ id est, legis prævaricatio* (1). Itaque jam ipsum etiam Joanne merroris pontificii damnare non veretur Heshusius.

Decimus septimus : « Libertas arbitrii est causa efficiens applicationis voluntatis ad gratiam ». Et citatur Andradius, lib. IV. At qui Andradius in eodem loco adjungit, id non posse liberum arbitrium, nisi confirmatum firmissimis divinæ gratiæ præsidii.

Porro voluntatem efficienter concurrere ad ejusmodi actus, adeo certum atque evidens est, ut Kemnitius Heshusii collega excusare nitatur Lutherum, quod alicubi scripserit, voluntatem mere passive se habere.

Decimus octavus : « Homo plus præstare potest, quam lex Dei præcipiat ». At id verum esse testatur Dominus, qui Matth. XIX. ei, qui totam legem se implevisse dicebat, ait : « Si vis perfectus esse, vade, vende omnia etc ».

Decimus nonus : « Perseverantia ex gratia, et libero arbitrio pendet ». At hoc docet S. Augustinus, lib. de corrept. et grat. cap. 12.

En igitur quales sententias Heshusius errores Pontificiorum, appellare non dubitavit. Sed magis adhuc impudentiam suam prodidit, cum eos refutare aggressus est.

Nam prolatis aliquot Scripturæ sententiis, quæ nihil ad rem faciebant, ita conclusit : « Ubi demonstratum est, quod liberum arbitrium in rebus spiritualibus prorsus sit extinctum, sua sponte corruunt omnes reliqui errores Pontificiorum, quos plenis buccis de male libero arbitrio impudenter decantant ».

At neque demonstravit, liberum arbitrium in rebus spiritualibus esse prorsus extinctum, de qua re in VI. lib. disseremus; neque si id vere demonstrasset, reliquæ sententiæ, quas ipse perperam vocat errores, sua sponte corruerent. Quales enim essent

istæ consecutiones? liberum arbitrium in rebus spiritualibus nihil potest, igitur non est facultas rationis, aut voluntatis; vel igitur synderesis non est inclinatio ad bonum, aut non remanet in dæmonibus; vel, igitur gentes per philosophiam non habuerunt notitiam, quæ sufficit ad salutem. Sed his nugis omissis, ad seria veniamus.

CAPUT XIV.

Probatur libertas arbitrii in moralibus argumento ducente ad impossibile.

Asserenda nunc est veritas orthodoxa, quæ docet, hominem in statu naturæ corruptæ libero arbitrio præditum esse, quoad moralia. Quoniam autem Joannes Calvinus lib. II. Institut. cap. 5. argumenta Catholicorum certo ordine disposuit, eaque ut potuit, solvit, aut solvisse videri voluit, nos ab illis initium ducemus, et eodem ordine non solum catholica argumenta, sed etiam ipsius responsiones proponemus, ut ex illarum refutatione lector intelligat, argumenta Catholicorum solidissima esse, neque hæreticis machinationibus labefactari posse. Calvinus igitur in duos ordines argumenta nostra distribuit, in priore constituit rationes ducentes ad impossibile, in posteriore rationes ostensivas ex verbo Dei.

Primum catholicorum argumentum ejusmodi est : « Aut peccatum est necessarium, aut voluntarium; si est necessarium, igitur non est peccatum, ac per hoc peccatum non erit peccatum, quod fieri non potest : si est voluntarium, igitur vitari potest : et proinde homo est liberi arbitrii in moralibus. Quippe qui potest peccare et non peccare ». Quod argumentum sumptum est ex Augustino, in lib. de vera religione cap. 14.

Ad hoc argumentum, respondet Calvinus, peccatum esse necessarium et voluntarium simul, et negat utramque partem consecutionis, videlicet, ergo non est peccatum, si est necessarium, et ergo vitari potest, si est voluntarium.

Et quidem de posteriore parte non erit magna quæstio, si tollatur ambiguitas. Nam ipse per voluntarium intelligit spontaneum, seu liberum a sola coactione, quale est etiam in pecoribus, et hoc modo voluntarium non pugnat cum necessario et inevitabili. Nos au-

tem accipimus voluntarium pro libero a necessitate, alioqui inepte diceremus, aut est necessarium, aut est voluntarium, si voluntarium non opponeretur necessario. Eodem etiam modo accepit voluntarium S. Augustinus loco cit. id est, lib. de vera relig. cap. 14. ut patet ex illis verbis : « Quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate servirent ». Et infra, cum dixisset, Adamum voluntarie peccasse, reddit rationem : « Quoniam, inquit, si necessitate fecisset, nullo peccati crimine teneretur ».

Itaque consecutio illa, si peccatum est voluntarium, ergo vitari potest, non fuisset a Calvino negata, si voluntarium accepisset, ut accipere debebat, id est, ut ipsa nostri argumenti verba postulabant.

Priorem vero partem consecutionis cur negaverit, quatuor causas reddit.

Primam, quoniam idem argumentum aliquando Pelagiani contra Augustinum protulerant.

Secundam, quoniam peccata hominum, licet sint necessaria, tamen ideo sunt vere peccata, quia non nascuntur ex creatione, sed ex corruptione naturæ, quam corruptionem peccatum primi hominis peperit.

Tertiam, quia diabolus necessario semper male agit, et tamen vere peccat, et Angeli sancti necessario semper bene operantur, et tamen vere bona sunt ipsorum opera.

Quartam, quia sanctus Bernardus serm. 81. in Cantica scribit, hominem post peccatum non posse vitare alia peccata, et tamen vere proprieque peccare.

Addit Calvinus in lib. IV. adversus Pighium. Quintam causam ex Aristotele, lib. III. Ethicor. cap. 5. ubi docet Philosophus, hominem sponte fieri malum, cum posset non fieri, sed ubi talis effectus est, jam necessario esse malum : sicut qui ægrotat, sponte et libere in morbum incidit, quia noluit vitare res noxias, cum eas facile posset vitare, tamen posteaquam ægrotus factus est, necessario male valet : « Ita quoque (inquit Calvinus) primus homo sponte ac libere peccando naturam corrumpit, sed jam corrupta natura necessario male operatur ».

Addamus sextam causam ex Bucero et Kemnitio, qui probant, legis prævaricationem semper esse peccatum, sive sit voluntaria, sive necessaria, quoniam in priore Joannis epistola cap. 3. peccatum definitur $\alpha\nu\omicron\pi\tau\alpha$ id est, legis prævaricatio. Jam igitur si causas istas nihil ponderis habere demon-

straverimus, argumentum illud Catholicorum robur suum ac vires integre retinebit.

Ad primam causam respondeo, non eandem esse quæstionem, neque idem argumentum, quod nos objicimus Calvino, et quod olim Pelagiani objecerunt Augustino. Nam quæstio Pelagianorum non erat, an singula peccata vitari possent, sed an posset homo vivere sine omni peccato, etiam veniali, ut intelligi potest vel ex ipso titulo libri, de Perfectione justitiæ, quem Calvinus citat. Respondit vero ad eam quæstionem Augustinus, ante peccatum Adæ fuisse in homine libertatem vivendi sine omni peccato, nunc autem esse necessitatem habendi aliquod peccatum. Ideo autem hæc necessitas habendi peccatum, non facit, quo minus peccatum sit vere peccatum, quoniam possunt vitari singula, quamvis non omnia. De qua re plura paulo infra dicenda erunt.

Ad secundam de corruptione naturæ, respondeo, ex doctrina ejusdem Calvini. Ipse enim loco notato scribit, si peccata nostra orirentur ex corruptione nobis a Deo concreatâ, justam excusationem peccatorum nos habituros apud Deum, tamquam nostrorum criminum auctorem. At ipse idem lib. III. Institut. cap. 23. scribit, peccatum primi hominis, ex quo naturæ corruptio orta est, fuisse Dei decreto, et inevitabili voluntate commissum. Habemus igitur excusationem apud Deum, si ex corruptione, in quam ejus decreto incidimus, et non ex nostra libera voluntate peccamus. Præterea naturæ corruptio ex doctrina Calvini, est ipsum originale peccatum, peccatum autem originale dimissum est in baptismo, vel ut non sit juxta veritatem, vel certe ut non imputetur juxta Calvini sententiam: igitur neque peccata illa imputari poterunt, quæ ex ea corruptione nascuntur, nisi accedat nova causa imputandi, id est, quod ita libera voluntate jam fiant, ut etiam vitari potuerint.

Ad tertiam, de peccatis dæmonum, et bonis operibus Angelorum, respondeo, tam Angelos sanctos, quam malos dæmones, respectu finis ultimi, non habere liberum arbitrium a necessitate, sed solum a coactione: tamen respectu mediorum, liberum arbitrium etiam a necessitate habere, quia multa faciunt, quæ possent non facere, et contra; et in hujusmodi, dæmones vere peccare, et bonos Angelos opus vere laudabile facere: quamvis nec pœna, nec præmium essentielle crescere possit, cum utriusque sint in termino,

et omnia ipsorum opera ad exercitium damnationis, vel gloriæ sempiternæ pertineant.

Itaque propositio illa Calvini, dæmones semper necessario male agunt, in aliquo sensu falsa est, in aliquo vera. Verum siquidem est in genere, eos non posse nisi male agere; falsum tamen est in particulari, omnia mala, quæ faciunt, illos necessario facere, possent enim (ut diximus) multa non facere, quæ faciunt, et ideo non necessitate, sed voluntate peccata committunt.

Ad quartam, ex Bernardo respondimus, in III. lib. cap. 6. summa est, hominem peccatorem, dum in eo regnat cupiditas, non posse vitare peccatum, absolute autem posse, quia potest cum Dei adjutorio cupiditatem exuere et induere charitatem.

Ad quintam, ex Aristotele respondeo, testimonium illud Philosophi nihil ad rem propositam facere. Nam loquitur ille de habitu vitii, nos loquimur de actu.

Quamvis autem, qui malum habitum contraxit, non possit illum continuo expellere, et necessario sit vitiosus, sicut ægrotus necessario male valet post contractam ægritudinem: tamen potest actum malum non exercere, cum habitus inclinent, sed non cogant; et ideo non necessitate, sed voluntate perficit actum malum, et vere proprieque peccat etiam ille, qui vitiosos habitus male vivendo contraxit. Sed quale est, ut Calvinus ab Aristotele subsidium contra libertatem arbitrii postulet, cum ille Philosophus in libro tertio Ethicorum, libertatem arbitrii studiosissime accuratissimoque defenderit?

Ad sextam, ex definitione peccati? Respondeo: in definitione peccati virtute contineri liberum arbitrium. Lex enim, quæ in ea definitione manifeste ponitur, non datur nisi iis, qui liberum gerunt arbitrium. Nihil enim est aliud lex, nisi regula dirigens actiones. Frustra autem datur regula ei, qui non habet in potestate actiones suas. Alioqui reddant adversarii causam, cur bestiis nullæ præscribantur leges, si ad legis usum non requiritur libertas arbitrii. Atque hinc rursus confirmatur, et insolubilius efficitur argumentum illud, quod frustra Calvinus solvere conatus est. Nam si quod sponte fit, licet necessario fiat, potest esse peccatum proprie dictum, cur non vere proprieque peccant infantes, furiosi, pecudes?

CAPUT XV.

Adfertur et defenditur secundum argumentum, pro libero arbitrio in rebus moralibus.

Argumentum secundum Catholicorum a Calvino propositum, atque (ut ipse falso credidit, etiam solutum) tale est: « Si non sit in homine libertas arbitrii, nullus erit pœnæ aut præmio locus, id autem communi totius hamani generis consensu, sensuque refellitur ». Quod argumentum depromptum est ex Augustino, in eodem cap. 14. ejusdem libri, de vera religione.

Ad hoc argumentum Calvinus tria dicit. Primo, fuisse quidem hanc ratiocinationem Chrysostomo et Hieronymo familiarem, eadem tamen usos esse quandoque Pelagianos. Secundo, non sequi, nullum fore locum pœnæ, si nulla sit in homine libertas arbitrii.

Nam pœna debetur culpæ; culpa vero in nobis residet, et a nobis manat: « Quid enim refert, inquit, libero ne, an servili judicio, modo voluntaria cupiditate peccetur? » Tertio addit, recte bona merita excludi, ex eo, quod non sit in homine liberum arbitrium: neque id esse absurdum, cum testimonio sancti Augustini, Deus non coronet merita nostra, sed munera sua. Et citat aliquot loca S. Augustini, adjunctis etiam quibusdam testimoniis divinæ Scripturæ. Videamus nunc, quid ponderis habeant tria ista dicta Calvini.

Ad primum, refero alia tria. Primum, dico, si propterea nos Pelagiani censendi sumus, quoniam utimur argumento, quo utebantur olim Pelagiani, certe Calvinus, ejusque sodales Manichæi censendi erunt, quoniam eodem argumento, quo nos utimur contra Calvinum utebantur olim Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, alique Patres veteres, contra Manichæos.

Secundo, quæro a Calvino, quandoquidem ipse dicit, eadem argumento usos fuisse Hieronymum et Pelagium, idem ne eos probare voluisse, an diversa? Nam si probare volebant diversa, non erit verum, eodem illos argumento usos. Neque enim fieri potest, ut homines non stulti, quales certe non erant Hieronymus et Pelagius, idem argumentum ad res diversas probandas adhibere voluerint. Si probare volebant idem;

idem igitur sentiebant Hieronymus et Pelagius; quomodo igitur Hieronymus tam acriter pugnabat contra Pelagianos, si idem cum Pelagio sentiebat? Sed his omissis.

Dico tertio, ex eodem principio duxisse argumentum Patres nostros, et Pelagium, sed argumentum Patrum nostrorum fuisse plane ferreum, Pelagii vero arundineum. Chrysostomus enim et Hieronymus contra Manichæos efficacissime probant ex pœnis et præmiis arbitrii libertatem, quod nos eorum Patrum filii modo facimus, contra Manichæorum filios Calvinistas: et idem fecerunt Augustinus, alique Patres omnes contra eosdem hæreticos Manichæos, quorum testimonia suo loco proferentur.

Pelagiani autem ex pœnis et præmiis probare nitentur, non liberum arbitrium non esse, sed gratia non indigere, sic enim ex Pelagianis Calvinus ipse refert: « Si gratia Dei in nobis agit, illa ergo non nos, qui non laboramus, coronabitur ». Quod argumentum non minus debile est, quam contrarium Calvinistarum, qui ex gratiæ necessitate contendunt, nullam esse arbitrii libertatem. Si quidem adjutorium gratiæ, et libertas arbitrii non pugnant inter se, neque unum alterum destruit aut impedit, sed mirifice potius alterum juvatur ab altero, quemadmodum infirmus et baculus. Neque enim infirmus sine baculo ambulare potest, ipse tamen adjutus baculo vere ambulat, et libere etiam ambulat, cum possit, si velit, non ambulare. Atque hæc de primo Calvini dicto.

Ad Secundum breviter respondeo, Calvinum peccatum illud committere, quod dialectici vocant petitionem principii. Assumit enim id, quod probare debuisset, culpam videlicet in nobis residere, et a nobis promanare, etiamsi necessitate adacti operemur, nec peccatum ulla ratione vitare possimus. Id enim est positum in controversia, sitne vera culpa, quæ vitari non potest.

Cum autem rogat, quid referat, libero ne, an servili judicio, modo voluntaria cupiditate peccetur? Respondeo, tantum referre, quantum interest inter hominem et pecudem. Nam quemadmodum animal est genus ad hominem et pecudem; ita voluntarium, id est, spontaneum, ad liberum et non liberum. Itaque homo peccat, quia sponte libere agit; pecudes non peccant, quia spontaneæ, sed non libere operantur.

Ad Postremum Calvini dictum respondeo,